299

62.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis ſecundâ menſis Decembris, anno Domini M. DCC. XLV.

M. JOANNE-CLAUDIO MUNIER, Conſiliario Medico Regis ordinario, & Domûs Regiæ Invalidorum, Doctore Medico, Præſide.

An Variolis Balneum?

I.



ARS Medica, Ars Divina, omnium veneratione digniſſima, ab orbe condito generis humani conſuluit commodis, ſemperque eſt conſultura. Aſſiduis invigilat curis, ut quâ poſſit ratione quæ circumſtant removeat mala, ſanitatem amiſſam aptis reſtituat remediis, reſtitutamque idoneis cautionibus conſervet. Tot inter morbos quibus miſeri mortales ſunt obnoxii, quibus afficiuntur, fatumque ſubeunt niſi ſubveniat Ars verè ſalubris, variolæ apud Gallos præcipuè rabiem frequenter exercent ſuam. Pueros ſæpiſſimè, juvenes & viros rariùs, ſenes quandòque ipſos aggrediuntur. Nulli parcunt ætati, nulli ſexui, cuicumque periculoſæ, ætate provectioribus periculoſiores. Puellis infenſiſſimæ ſunt, matribuſque deteſtatæ. Quo frequentiores ſunt Variolæ, eò majori

ipſis opus eſt auxilio. Variis ſub ſpeciebus ſe exhibent, vario igitur modo tractandæ. Si quæcumque vulgò adhibentur remedia, licèt in ſe bona, non omnem in quovis Variolarum genere paginam impleant, unumque olim uſurpatum, cæteris additum, tempeſtivè & methodicè adhibitum maxima attulerit commoda ægrotantibus, Artis medendi gloriam ſuſtinuerit, eamque nunc adaugere poſſit, cur illud ferè neglectum ad memoriam non revocem, optimumque non contendam, cùm graviſſima arcere poſſit & arceat ſymptomata, aut ea ſaltèm multùm minuere valeat.

I I.

IN Arabes primùm ſævierunt Variolæ; eædem apud nos ſæpè verno tempore incipiunt, æſtate creſcunt, languent automno, hyeme ferè redeunt. Æſtate ſunt mitiores, hyeme periculis plenæ: pueros eoſque qui huncce morbum nondùm paſſi ſunt, maximè adoriuntur. Variolæ ſunt morbus contagioſus, cum puſtulis ad piſi mediocris magnitudinem accedentibus, in ſummâ cute floreſcentibus, ac in ſuppurationem abituris, cum febre ut plurimùm continuâ, acutâ, ſæpè malignâ, gravibuſque aliis ſymptomatibus conjunctus. Variolæ in nothas & veras primò diſtingui poſſunt. Nothæ quaſi ſine febre prorumpunt ac periculi omninò expertes deprehenduntur. Veræ febre acutâ ſtipatæ, ſunt admodùm periculoſæ. Nothæ ſeu ſpuriæ in duas claſſes iterùm dividuntur, nempè in duras ſiccas, & in aquoſas, quæ hydatides repræſentant, brevì diſrumpuntur, ſiccanturque. Variolæ denuò in diſcretas & confluentes diſtribuuntur. Diſcretæ habent puſtulas pauciores, à ſe invicem diſtinctas. In confluentibus puſtulæ non ſparsìm ſed confertìm in facie præſertìm & manibus comparent; tam diſcretæ quàm confluentes dicuntur etiam benignæ vel malignæ. In benignis poſt eruptionem factam, ceſſat febris, aliaque ſymptomata, aut ſaltèm notabiliter remittuntur. In malignis ſymptomata longè plura, pertinaciora, ac periculoſiora videre eſt. Variolæ malignæ confluentes quibus puſtulæ grandiores, elevatæ, pellucidæ, ac liquore aquoſo-lymphatico, loco puris repletæ ſunt; indè appellantur cryſtallinæ. Hic morbus non meliùs dignoſci videtur quàm ex tempore ſuæ graſſationis, ex febre acutâ, puſtulis propriis, prægreſſo capitis lumborumque dolore, quibus accedunt ut plurimùm nauſeæ, vomitus, ſopor, capitis gravedo, ſanguinis è naribus ſtillicidium, ſpirandi difficultas, interdùm colicus dolor atrox, motus convulſivi, ſudores magis minuſve profluentes, oculi demùm perturbati & ægrè admodùm ſe aperientes. At non hæc omnia in omnibus, nec ſimul, ſed ſucceſſivè cernuntur. Die tertio vel quarto ab inſultu morbi erumpunt puſtulæ ciceris formâ, baſim habentes rubram per quatuor alios dies creſcunt & implentur, contenta in illis materia albeſcit, fitque purulenta prorſùs octavo die quo revertitur febris remiſſura ſequenti die per auctam faciei molem. Tribus aliis diebus elapſis pallеſcit rubedo quam circum papulas dabatur conſpicere, denique flacceſcunt & exſiccantur puſtulæ tribus ultimis diebus, ita ut cadere ſoleant à duodecimo ad decimum-quintum diem. Hic autem morbus graſſatur modò in his modò in illis regionibus ac civitatibus, & cum ſymptomatibus pro atmoſphæræ, locorum & temperamentorum varietate maximè diſcrepantibus. Hujus genuina veraque cauſa mali hucuſque ſollicitos tenuit Medicos, adhuc incognita forſan in æternùm nos fugiet. Generatìm poteſt accuſari miaſma quoddam ſubtile fermenteſcens, per contagium communicatum: ſpeciatìm verò quale ſit fermentum funeſtum hunc producens affectum, non poteſt determinari. Quodcumque ſit, hoc mediante varioloſus humor ſecernitur à ſanguine, in glandulis cutaneis deponitur, ibique promovet puſtulas ex quarum numero majori minorivè, ſede hâc vel illâ, Variolæ ſunt leves, curatu difficiles, mortiferæ, aut ſaltèm periculoſiſſimæ. Materia morbifica quandoque non poteſt omninò vacuari

à glandulis; pars hujus moratur in ſanguine, undè ad caput parteſque internas ſuperiores cum eo fertur, majori diſcrimine. Hæ enim partes delicatiores faciliùs affliguntur, perturbanturque. Ex hoc, cerebri inflammatio, hæmorrhagiæ, peripneumoniæ, alvi fluxus, urinæ copioſæ. Hæc ſymptomata longè diriora evadunt cùm fermenti nulla fit evacuatio; tunc ſuffocatus brevì perit æger ni præſtò ſit auxilium quod adeò gravia ſubigere valet incommoda.

I I I.

IN Variolis omne ferè periculum eſſe eruptionem non fieri, aut fieri citiùs, aut tardiùs, vel incœptam ſiſti nemo diffitetur. Hanc ob cauſam quicumque Medici arbitrati ſunt cunctos conatus apponendos, ut hæc eruptio, tempore. qualitate, quantitateque convenientibus perageretur. Aſt non ſemper ex propoſito fine res ſuccedunt; quædam occurrunt impedimenta quæ vulgaribus remediis non ſuperantur. Hæc ſunt rigiditas, denſitas, ex ſpaſmo ſuſceptæ, vel ex naturali partium contextu oriundæ; ita ut venenum foràs venire nequeat, ſed intùs furat brevì jugulaturum ægrotantem. Et verò partes internæ, debiles admodùm, longè nobiliores, fermentanti non valent peſti obſiſtere. Facilè tollitur reſpiratio; ſanguis majori quantitate, curſu violentiori, & vitio quodam funeſto impræguatus fertur ad thoracem qui ſua munia implere jam eſt impar. Cerebrum ſpaſmo excitato ità prægravatur ut ſui impotens omninò turbetur. Sanguis à partibus ſuperioribus & inferioribus rapido fluxu ad centrum revertitur ſuum. Perverſo demùm æquabili ordine, mox ruitura eſt machina, ſummi Creatoris opus perfectiſſimum. Quid moliendum, quid agendum in ſtatu tam lugendo? Certè extùs propellendum furens intùs malum, ut internis partibus liberioribus, externæ magis afficiantur, vitaque ſervetur. Sed ſi conſervando vitam, partium externarum pretioſiſſimæ poſſint etiam à turpi quâdam deformitate ferè immunes effici, nùm id omittere nefas non ſit? Ab imminente labe ut internæ partes liberentur, partes externæ ſunt aperiendæ; ut aperiantur laxandæ & emolliendæ. Extùs fieri eruptionem, adeòque varioloſi humoris evacuationem, votum eſt omnium, comprobatum quippè hanc viam naturæ moliminibus eſſe quàm maximè conſonam. Porrò ea omnia bona nullâ re magis obtineri poſſunt quàm ab adhibito Balneo.

I V.

BALNEO cutim laxari, quotidianâ confirmatur experientiâ, nullumque remedium huic fini valentius eſt. Totam corporis habitudinem afficit, emollit. Pori hujus ope ampliantur, aut ad minimùm reſiſtentiam afferunt minorem exitui mali humoris. Nonne ſingulis diebus obſervatur Balneo ſudores prolici, copioſas fluere urinas, alvum ſubduci, cunctas deniquè ſecretiones & excretiones faciliores reddi? Illo tumores efficaciſſimè emolliuntur, & ad perfectam curationem optimè præparantur. Illo, ſanguis menſtruus qui verſùs ſuperiora impulſus, diriſſimos variis in locis cruciatus creabat, ad inferiora derivatur. Quæcumque bona in prædictis occaſionibus affert balneum, eadem certè proferre poteſt in Variolis: nam in confluentibus, ubi purulenta materia, ſi retineatur, reſpirationem tollit, jamque dicta mala excitat, balneum cutim laxando, poros ampliando, reſiſtentiam minuendo, nonnè patentiorem, commodiorem, tutioremque evacuationi fermenti viam præbet, undè ſanguine qui ad ſuperiora furioſo fluebat impetu, ad inferiora detruſo, caput ſublevatur, reſpiratio adjuvatur, vitaque ferè amiſſa reſtituitur. Hâc ratione puſtulæ non ità frequenter vultum, thoracemque infeſtant, ſed in extremitates ſolùm videntur ſe convertere: illud tanti eſt momenti ut teſte Sydenhamio eò præcisè minùs periculoſæ cenſendæ ſint Variolæ: inſuper febris ſecundaria quæ ſæpiſſimè corripit ægrum cùm Variolæ ad ſuum pervenêre ſtatum, nullo meliùs remedio antevertitur,

aut saltèm minuitur quàm Balneo. Præterea si pustulæ quæ apparuerant, statim recedant aut sistantur, ex cuti densiore, aut poris obstructis, crustis jam efformatis, Balneo mirum in modum emolliuntur, cutis laxatur, pori ampliantur, restauraturque virosi humoris eruptio, imprimis si detur simùl Cardiacum appropriatum. Hoc denique bonum, non minimum, optatum à puellis, quod Balnei ope materia morbifica, ad inferiora deveniens faciem præstet ferè immunem à maculis horridis sexui sequiori tam formidatis, ut vitam vix servare velint damno formæ.

V.

SAT superque evictum est, Balneum aptissimum esse dirissimis symptomatibus avertendis. An quis objiciat Variolas non rarò salutariter per se exire, Balneumque tunc esse inutile? Nec tunc id suademus. An alius instet Balneo calido crispari fibras, sicque afferri impedimentum eruptioni? Balneum sit moderatè calidum. Objicies iterùm, Difficile & noxium pluribus esse Balneum? Et id quidem non diffitemur, neque etiam illud indiscriminatim in omnibus, nec sine cautelâ admittendum dicimus. Priùs solvenda est plethora, cruditates primarum viarum tollendæ lenioribus Emeticis; expedit non statim immittere totum corpus, sed successivè, primò pedes, deindè femora, posteà abdomen usque ad cordis scrobiculum, donec ad mentum ipsum perveniat unda. Servandus etiam æqualis aquæ calor. Non diutiùs in eâ commorandum, corpus enim nimis difflueret, viresque debilitarentur. Post Balneum, lecto committatur æger. Perspiratio insensilis, jusculo, infuso, decoctove convenienti adjuvetur. Quibusdam Balneum aut semicupium sunt noxia? Ii ad pediluvia Balneorum vicaria, minori apparatu, nullo incommodo, magno è contrà cum emolumento confugiant. Dum enim aquâ tepidâ foventur pedes, fibræ tendinosæ. nervosæ & musculosæ laxantur, remittuntur. Pori & tubuli anteà constricti ampliantur; humores quicumque faciliùs & promptiùs ad extimos corporis tubulos feruntur; subtilissimarum sordium ut & portionis miasmatis fit difflatio atque exhalatio, toti denique massæ liber circuitus conciliatur.

Ergò Variolis Balneum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Jacobus-Franciscus le Chat de la Sourdiere.
M. Petrus Lalouette.
M. Thomas-Bernardus Bertrand.
M. Joannes-Franciscus Isez.
M. Silvester-Antonius le Moine.
M. Camillus Falconet, Salubris Consilii Regii Socius, & è Regiâ Inscriptionum & Numismatum Academiâ.
M. Carolus-Franciscus Boutigny des Preaux.
M. Petrus-Josephus Macquer, è Regiâ Scientiarum Academiâ.
M. Hyacinthus-Theodorus Baron, Antiquus Facultatis Decanus.

Proponebat, Parisiis JOANNES-FRANCISCUS PARIS, Parisinus, Thesees author Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A.R.S.H. 1745. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1745.